



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118588**

§. 115. Principum Protestantium Oratores pro Calvinistis apud Regem  
suplices.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1559.

§. CXV.

*Principum Protestantium Oratoris  
pro Calvinistis apud Regem  
supplies.*

Thuan. l. 22.  
num. 7.

Interea Calvinus ex Genevensibus latibus factiōni suā, quae indies in Galiliis numero excrescebat, conservandæ sedulo invigilabat, quapropter Germaniæ Protestantes sollicitabat, ut datis ad Henricum II. Regem literis eundem rogarent, quatenus suā sectāe alumnos, quibus carceres erant repleti, paulo mitius haberet: quinimo eodem tempore Legati a Protestantibus Germaniæ Principibus ad Regem venerunt cum literis Friderici Comitis Palatini, Augusti Saxoniæ Ducis, & Joachimi Brandenburgici septemvirorum: afferebantur quoque literæ Christophori Wittenbergici, & Wolfgangi Veldentii comitis manu subscriptæ, quarum hæc summa erat: „intelleximus magno noltro „cum dolore, plerosque viros pios, ac „pacis studiosos, qui eandem, quam „nos, Religionem profitentur, in Galilia tanquam seditiosos, ac publicæ „quietis turbatores in carcerem trudi, „bonis exui, in exilium agi, atque etiam „supremo supplicio affici, qua de causa „ad te Christianissime Rex misimus, ex „Christianæ charitate, & amicitia, quæ nobis

Sæcul.XVI.

A.C.1559.

„nobis tecum, ac Regno Galliæ inter-  
 „cedit, impulsi, ac rogamus, ut Ma-  
 „iestas vestra de caussa hac, in qua Dei  
 „nomen, & salus tot animarum verti-  
 „tur, trutinatis maturo judicio rationi-  
 „bus decernat, nec ullo præjudicio  
 „mentem præoccupari patiatur: Nos  
 „vero de Dei Gloria, ut pios Principes  
 „decet, & de nostra, ac nostrorum fa-  
 „lute solliciti non minus quam ipsem  
 „Rex, exortis de Religione tumultibus  
 „rationem, qua res componi posset,  
 „diligenter inivimus, & dum serio in  
 „id incumbimus, compertum habui-  
 „mus, quod multa sensim per avari-  
 „tiam, & ambitionem in Ecclesiam ir-  
 „repserint, quæ ad Dei contumeliam  
 „vergunt, & offensionis caussam præ-  
 „bent.

„Ex his illi hæc inferebant: pravi  
 „ergo ejusmodi usus Sacræ Scripturæ  
 „testimoniis argui, & ex antiquorum  
 „Conciliorum decretis, ac prioris ævi  
 „Patrum auctoritate emendari debent,  
 „nam neque heri, aut nudius tertius  
 „de corruptis Curiæ Romanæ moribus,  
 „& depravata disciplina institutæ sunt  
 „querelæ, cum jam ante multos an-  
 „nos in Galliis audita, & nota fuerint  
 „ea, quæ Guilielmus Parisiensis, Joan-  
 „nes Gerson, Nicolaus Clemangius, &  
 „alii Theologi de iis scripserunt. Id

O 4

quo-

Sæcul. XVI. „quoque prævidit beatæ memoræ  
 A.C. 1559. „Franciscus Parens tuus, qui optime  
 „consultus negotium de conciliandis  
 „Religionis dissidiis, & Ecclesiastica  
 „disciplina corrigenda aliquando suscep-  
 „perat: hæc igitur cura est digna Re-  
 „gis a tanto Patre progeniti; hinc ora-  
 „mus, ut operam des, quatenus, dum ab  
 „armis externis Gallia quiescit, dissensio-  
 „nes domi propter Religionem exortæ  
 „tua auctoritate, & interventu amice-  
 „, ac pacate componantur. Hujus rei non  
 „aliam rationem videmus, quam si vestra  
 „Majestas confestim viros idoneos, &  
 „tranquillitatis amantes deligat, qui de  
 „, hac caufsa citra odium cognoscant, &  
 „fidei confessionem, quam exhibemus,  
 „ad Sacræ Scripturæ, ac veterum Pa-  
 „trum regulam exigant, & examinent:  
 „interea vero judiciorum severitas in-  
 „termittatur, atque illi, qui in carceris  
 „pœdore confenserunt, emittantur, exu-  
 „les revocentur, & bonis exuti resti-  
 „tuantur: nam ita faciet vestra Maje-  
 „stas rem Deo acceptam. fibi honorifi-  
 „cam, ac Regno utilem, nobis vero,  
 „qui deprecatum pro miseris hominibus  
 „tanquam pro communi caufsa legatos  
 „ad te misimus, gratissimam, ob quam  
 „non parum tibi debituri sumus.

§. CXVI.